

**Zeitschrift:** Der Geschichtsfreund : Mitteilungen des Historischen Vereins Zentralschweiz

**Herausgeber:** Historischer Verein Zentralschweiz

**Band:** 23 (1868)

**Artikel:** Litterae a Pontificibus Romanis per tria medii aevi saecula datae et in scriniis tam ecclesiae S. Leodegarii quam civitatis Lucernensis reconditae (1249-1489)

**Autor:** Schneller, Joseph

**DOI:** <https://doi.org/10.5169/seals-112194>

### Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

### Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

### Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

**Download PDF:** 11.08.2025

**ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>**

# I.

## Litteræ a Pontificibus Romanis per tria medii ævi sæcula datæ et in scriniis tam ecclesiæ S. Leodegarii quam civitatis Lucernensis reconditæ.

Curante Jos. Schneller, Archivarius.

### 1.

1249, 7 März.<sup>1)</sup>

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Dilecto filio Abbati Morbacensi ordinis sancti Benedicti, Basiliensis diocesis. Salutem et apostolicam benedictionem. Cum feruidus sincere deuotionis affectus, quem seruas ad nos et Romanam Ecclesiam matrem tuam, manifestis operibus clareat pro eo quod, sicut a fide dignis accepimus, te non dubitas murum defensionis | opponere, contra potentias iniquorum, nos tuam fidelem constantiam attendentes, que quanto sit sedi | apostolice gratior, tanto debet donis potioribus adaugeri, tibi auctoritate presentium de speciali gratia indulgemus, ut de Gebewilre et de Lucerna Ecclesias ad tuam ut asseris collationem spectantes, pro tuis soluen- | dis debitibus, quibus te pretextu negotiorum uniuersalis Ecclesiæ obligasti, possis ad manus tuas, cum eas uacare | contigerit; usque ad Quingennium retinere Ita tamen quod eisdem Ecclesiis interim de ipsarum

<sup>1)</sup> In tabulariis ecclesiæ asservantur: No. 7. 8. 9. 11. 14. 17. 23. 24. 25.

In Archivo civitatis: No. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 10. 12. 13. 15. 16. 18. 19. 20. 21. 22. 26. 27.

prouentibus per idoneos | uicarios congrue seruiatur. Non obstantibus aliquibus litteris apostolicis super aliquorum prouisionibus generaliter | uel specialiter impetratis aut etiam impetrandis, nisi hujusmodi littere impetrande plenam et expressam de hac indulgentia fecerint mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, | uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hec attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et | beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursum. Datum Lugduni | Nonis Marcii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Das Siegel geht ab. — Von dieser und der folgenden Bulle liegen die Urschriften im Präfetur-Archiv Colmar.

## 2.

1249, 7 März.

Innocentius Episcopus seruus seruorum dei. Dilecto filio Abbatii sancti Vincentii Bisuntini salutem et apostolicam benedictionem. Cum feruidus sincere devotionis affectus, quem dilectus filius Abbas Morbacensis ordinis sancti Benedicti | Basiliensis diocesis seruat ad nos et Romanum ecclesiam matrem suam manifestis operibus clareat pro eo quod sicut | a fide dignis accepimus se non dubitat murum defensionis opponere contra potentias iniquorum, nos eius fidelem constantiam attendentes que quanto sit sedi apostolice gratior, tanto debet donis potioribus adaugeri, eidem Abbatii litterarum nostrarum auctoritate de speciali gratia duximus indulgendum, ut de Gebewilre et de Lucerna ecclesias ad | suam ut asserit collationem spectantes, pro suis solvendis debitibus quibus se pretextu negotiorum universali salis ecclesie obligavit, possit ad manus suas, cum eas uacare contigerit, usque ad Quingennium retinere; | Ita tamen, quod eisdem ecclesiis interim de ipsarum prouentibus per idoneos uicarios congrue seruiatur. Non obstantibus aliquibus litteris apostolicis super aliquorum prouisionibus generaliter uel specialiter impetratis aut etiam | impetrandis, nisi hujusmodi littere impetrande plenam et expressam de nostra indulgentia fecerint mentionem. | Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus dictum abbatem non permittas super hiis contra nostre concessionis tenorem ab aliquibus indebite molestari,

molestatores hujusmodi per censuram ecclesiasticam ap- | pellatione postposita compescendo. Datum Lugduni Nonis Marcii, Pontificatus nostri Anno Sexto.]

**Das Siegel fehlt.**

### 3.

#### 1368, 27 Weinm.

Urbanus V. episcopus seruus seruorum dei | Dilecto filio pre-  
posito ecclesie Thuricensis constanciensis diœc. Salutem et apo-  
stolicam benedictionem. | Sua nobis dilectus filius Johannes de Celle  
Rector parochialis ecclesie Lucernensis Constantiensis diœc. peti-  
cione monstrauit | quod olim ipse prepositum et conuentum mo-  
nasterii Lucernensis per prepositum soliti gubernari ordinis sancti  
Benedicti dicte diœc. qui parrochianos dicte ecclesie recipiebant  
temere ad diuina et eis ministrabant | ecclesiastica sacramenta super  
hoc coram Johanne de Tonsol vicario generali in spiritualibus ve-  
nerabilis | fratris nostri epi constanciensis, non ex delegacione  
apostolica fecit ad iudicium euocari et quia dictus vicarius | ex ar-  
rupto liteque in causa huiusmodi minime contestata eidem Rectori  
de facto inhibuit ne huiusmodi sacra- | menta predictis parrochi-  
anis ministraret, dictus Rector sentiens exinde indebite se grauari  
ad sedem apostolicam | appellauit. Quocirca discretioni tue per  
apostolica scripta mandamus, quatinus uocatis qui fuerint euocandi  
et auditis hincinde propositis quod fuerit appellatione remota de-  
cernas faciens quod decreueris | per censuram ecclesiasticam fir-  
miter obseruari. Testes autem qui fuerint nominati si se gratia  
odio uel | timore subtraxerint censura simili appellatione cessante  
compellas ueritati testimonium perhibere. | Datum Rome apud  
Sanctum petrum, vj. kl. nouembres, pontificatus nostri anno sexto.

**Das päpstliche Siegel ist weggenommen.**

### 4.

#### 1368, 16 Wintermanats.

Urbanus episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis uniuersis  
parrochianis ecclesie opidi | lucernensis constanciensis diœc. Sa-  
lutem et apostolicam benedictionem. Sincere deuotionis affectus  
quem ad nos et Romanam geritis ecclesiam prom- | eretur, ut  
uotis uestris fauorabiliter annuamus illis presertim per que sicut

pie desideratis spiritualis nobis salutis proueniat incrementum. | Sane peticio pro parte uestra nobis nuper exhibita continebat, quod licet Rector parrochialis ecclesie Lucernensis Constanciensis diœc. cuius par- | rochiani estis ueram curam habeat animarum, tamen dilecti filii prepositus et monachi monasterii lucernensis ordinis sancti | Benedicti dicte dioec. quod extra dictum opidum consistit uobis sacramentum unctionis extreme ministrare, | ramos in domi- nica palmarum ac fontes in vigiliis resurrectionis domini et penthe- costes benedicere, nonnullasque proces- | siones et solemnitates certis diebus anni facere tenentur et eciam consueuerunt quodque sepe contigit quod dicti prepositus | et monachi excommunicationis, suspensionis et interdicti sentenciis aut earum que aliquibus ligati premissa facere et adiunplere non | possunt, propter quod magnum uobis impedimentum prestatur in premissis. Quare pro parte uestra nobis fuit humiliter sup- | plicatum ut prouidere uobis super hiis de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati ut dum | predictum aut aliud in premissis administrandis et faciendis aduenerit impedimentum Rector dicte uestre ecclesie pro tem- | pore existens sine preiudicio tamen pre- positi et monachorum predictorum premissa administrare et facere ualeat uobis au- | ctoritate apostolica tenore presencium concedimus de gracia speciali. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre | concessionis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis | dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursum. Datum Rome apud Sanctum Petrum xvij. kl. decem- bres, | pontificatus nostri anno septimo.

P. Uolmameyras.

Das bleierne Bullen-Siegel hängt an gelbrothem Seiden- fäden. <sup>1)</sup>

### 5.

1375, 17 Jänner.

Gregorius Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filiis Sculteto et Consulibus ac Vniuersitati Opidi | Lucernensis Constan-

---

<sup>1)</sup> Eine ähnliche Vergünstigung gab am 21. Herbstm. 1387, von Lucern aus, der päpstliche Sendbote Kardinal Philipp de Alenconio. (Stadtarchiv.)

tiensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Sincere deuotionis affectus, quem ad nos et Romanum geritis Ecclesiam, | promeretur, ut petitionibus vestris, illis presertim, per quas diuinis officiis sicut pie desiderare videmini magis intenti esse | possitis, quantum cum deo possumus, fauorabiliter annuamus. Exhibita siquidem nobis pro parte uestra petitio continebat, quod | cum sepe contingat, quod nonnulli tam ordinarii quam etiam a sede apostolica delegati uel subdelegati ab eis Judices in illis partibus | deputati diuersos processus contra personas, in quas iurisdictionem exercent, pro debito pecuniario facientes, generalem interdicti | sententiam in terras uel loca, ad que hujusmodi persone declinauerint, uel in quibus moram traxerint, promulgant, et nonnunquam | accedit, quod aliqui ex hujusmodi personis ad vestrum opidum declinent uel inibi moram trahant, et licet vos in personas hujusmodi iu- | risdictionem uel potestatem aliquam non habeatis, tamen cogimi absque culpa vestra, seruare hujusmodi interdictum et carere | diuinis officiis non absque graui multorum scandalo et detimento non modico animarum. Quare pro parte uestra fuit nobis humili- | ter supplicatum, ut prouidere uobis super hoc de oportuno reme- dio dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, | deuotioni vestre, dummodo contra processus dudum per nos factos, contra iniquitatis filios Bernabonem et Galeaz de Vicecomi- | tibus de Mediolano, sacrilegos et hostes dicte Romane Ecclesie non at- temptetis, sed quantum ad vos spectat, fideliter obediatis eisdem, usque ad Quingennium a dato presentium computandum, tenore presentium indulgemus, quod pretextu processuum genera- | lium occasione debiti pecuniarii contra personas hujusmodi vobis non subiectis factorum et faciendorum imposterum idem opidum | uestrum ecclesiastico interdicto nequaquam subiaceat, et hujusmodi interdictum infra dictum Quinquennium, dummodo non attem- | ptetis contra processus eosdem, minime teneamini obseruare, nisi in litteris apostolicis, vigore quarum hujusmodi interdictum forsan | esset positum uel poni conlingeret in futurum, quoad hoc de pre- dicto vestro opido specialis mentio haberetur. Nulli ergo omnino | hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare | presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et

Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum. Datum Auinioni |  
xvi. kl. Februarii. Pontificatus nostri Anno Quinto. |

Ver. Maynardi.

Wernerus.

**Das Siegel in Blei hängt.** <sup>1)</sup>

6.

**1387, 9. Mai.**

Urbanus Episcopus seruus seruorum Dei. Venerabili fratri  
Philippo Episcopo Ostiensi apostolice sedis legato Salutem et apo-  
stolicam benedictionem. Cum te ad Francie, Boemie, Nuarre,  
Dacie, Suecie et Norwegie Regna, necnon ad Alamannie, Flandrie.  
Leodii, Hanonie et Lothoringie partes ac ducatum Bareensem com-  
misso, tibi in eis plene legationis officio pro magnis et arduis  
sacrosancte Romane ecclesie negotiis ac pro salute et pace Regum,  
Prin- | cipum, Magnatum, ac iusticia populorum, ut euellas et de-  
struas, edifices et plantes, vberesque deo et eidem ecclesie Ro-  
mane ac speratos fructus afferas tanquam pacis angelum destinemus.  
Nos volentes, quod Regnum | ac partium et ducatus predictorum  
incole ad pietatis opera exercenda eo fortius animentur, quo spi-  
ritualium munera potiora dona sibi inde conspexerint prouenire,  
presentium tibi auctoritate concedimus, ut | omnibus vere peniten-  
tibus et confessis, qui ad fabricas singulis ex Triginta ecclesiis, de  
quibus tibi videbitur, manus porrexerint adiutrices, Centum dies  
de iniunctis eis penitentiis valeas relaxare literis | tuis super Indul-  
gentiis huiusmodi per te concedendis post decennium a die ipsarum  
litterarum tuarum computandum minime valituris. Datum Luce  
Septimo Idus Maii. Pontificatus nostri Anno Decimo. | <sup>2)</sup>

7.

**1391, 12. Mai.**

Bonifacius Episcopus Seruus Seruorum Dei, Ad Perpetuam Rei  
Memoriam. | Gratia sedis apostolice plenitudo ea que pro diuini

<sup>1)</sup> Kardinal Pileus gibt dann unterm 2. Winterm. 1380 von Prag aus  
obigem päpstlichen Privilegium auf feruere fünf Jahre Bestätigung. (Stadt-  
archiv.)

<sup>2)</sup> Daraufhin hat dann der Legat Kardinal Philipp von Alenconio obige  
päpstliche Vergünstigung auf die St. Peterscapelle in Lucern angewendet,  
mit weiteren 40 Tagen Indulgenz für immer, vermöge eigener Gewalt.  
Datum in Lucern den 21. Herbstm. 1387.

cultus augmento et piorum locorum ac personarum sub religionis  
 habitu domino famulantium quiete et prospero statu prouide facta  
 sunt libenter ualidat et con- | firmat prout secundum deum uide-  
 rit expedire. Exhibita siquidem nabis nuper pro parte dilectorum  
 filiorum Abbatis et Conventus Monasterii in Capella Cisterciensis  
 ordinis Constantiensis diocesis petitio continebat, | quod olim dilecti  
 filii Heinricus de Huinenberg Rector parrochialis ecclesie in Meri-  
 swande ac Nobils viri Hartmannus dictus Wolf miles, necnon Jo-  
 hannes Vlrici de Huinenberg domicellus dicte diocesis, cum | ad  
 Rectorem ratione persone sue vna et Militem altera, necnon ad  
 domicellum predictos Tertia pars iuris patronatus eiusdem ecclesie  
 et Altaris sancte Marie siti in eadem ecclesia tunc iusto titulo per- |  
 tineret, attendentes quod predictum Monasterium erat non me-  
 diocriter collapsum propter guerras que in illis partibus uiguerunt,  
 necnon eorumdem Abbatis et conuentus inopie pie compatientes ac  
 cupientes terrena | in celestia et transitoria in eterna felici com-  
 mercio commutare, ipsique Abatti et Conuentui ob salutem ani-  
 marum Rectoris Militis et domicelli et augmento cultus eorumdem  
 de aliquo subuentionis auxilio quantum | erat in eis prouidere ius  
 patronatus hujusmodi quod ad eos pro hujusmodi partibus com-  
 petebat ut prefertur eidem Monasterio liberaliter donauerunt, prout  
 in instrumento publico inde confecto eorumdem quoque | Rectoris  
 Militis et domicelli sigillis munito, cuius tenorem de verbo ad ver-  
 bum presentibus inseri fecimus, plenius continetur. Quare pro  
 parte dictorum Abbatis et Conuentus nobis fuit humiliter suppli- |  
 catum, ut eidem instrumento et contentis in eo robur apostolice  
 confirmationis adiicere de benignitate sedis apostolice dignaremur.  
 Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati, predictum instru-  
 mentum ac omnia | et singula in eo contenta rata habentes et  
 grata, illa auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti  
 patrocinio communimus. Tenor uero dicti instrumenti sequitur et  
 est talis. — In Nomine domini nostri | Jhesu Christi amen. Nos  
 Heinricus de Hünenberg Rector et ab vna parte patronus ecclesie  
 parrochialis in Meriswande diocesis Constantiensis, Hartmannus de  
 Hünenberg dictus Wolf Miles, et Johannes Volrici de Hünenberg  
 ar- | migrer, similiter patroni dicte parrochialis ecclesie, et omnes  
 tres fratres carnales et legitimi, notum facimus presentium inspec-  
 toribus seu auditoribus vniuersis, Quod sani per dei gratiam men-

tibus, corporibus et sensibus, non vi coacti, metu | inducti aut dolo alicuius aliqualiter circumuenti, sed libere atque sponte, non per errorem sed ex certa sciencia de terrenis, considerantes presertim quod nichil certius morti et nichil incertius hora mortis, quodque hic in terris manen- | tem ciuitatem non habemus, cumque in membris vigor viget corporis, ratio regit mentem, quam sepe adeo languor obnubilat, ut non solum homo spiritualium verum etiam temporalium et sui ipsius cogatur eiusdem languoris vehementiam ob- | liuisci. Sane pro nobis et nostris heredibus et successoribus vniuersis donatione perfecta et irrevocabili que dicitur inter vivos, et alias via jure modo et forma melioribus quibus efficacius potuimus et debuimus pure et | simpliciter propter deum, et in remedium animarum nostrarum et nostrorum progenitorum prefate ecclesie fundatorum, ipsam ecclesiam et Juspatronatus eiusdem, necnon altare sancte Marie in eadem fundatum ad nos tamquam veros patronos jure | proprietatis et directi dominii pertinentes cum prebendis, redditibus, censibus, decimis, fructibus, prouentibus, juribus et obuentionibus ad eandem ecclesiam et altare quolibet communiter uel divisim pertinentibus, Venerabili et Religioso viro | domino Heinrico permissione diuina abbatii Monasterii in Capella, ordinis Cisterciensis diocesis antedictae presenti et donationem presentem suo et Monasterii iamdicti et Conuentus eiusdem nomine recipienti, vt et tamquam piis loco et | personis dedimus, donauimus, resignauimus, transtulimus, tradidimus et assignauimus ad laudem diuini nominis et beatissime Virginis Marie, et ad profectum dicti Monasterii, cuius possessiones, terre, Reddita et prouentus per validas | guerrarum impulsus pro magna parte ut dolenter refférimus sunt destructi, Cupientes per hoc ipsum Monasterium in concordia personarum in eodem inantea ut sperramus sub diuino cultu militantium releuari, ut in | eodem cuiuslibet virtutis luceat effectus et hoc assit eis presidium ne forte cuiuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito reuocet, aut robur quod absit sacre Religionis infringat. Volentes et ordinantes ut prefati | domini Abbas et conuentus et suo in dicto Monasterio successores vniuersi supradictam ecclesiam parochialem et altare sancte Marie cum prebendis. jurepatronatus et aliis prespecificatis a nobis abdicatis et in eos pleno Jure trans- | latis exnunc in antea perpetuis temporibus ad ipsorum Mensam et diuini cultus augmenta-

tionem habeant, teneant, possideant eo jure, quo antecessores seu progenitores nostri hactenus et nos hucusque tenuimus, habuimus et possedi- | mus, nullo jure nobis et nostris heredibus aut successoribus in eisdem aliquatenus retento uel obseruato. Et ut premissa omnia et singula debitum suum sortiantur effectum, et in suo robore perpetue perseuerent, promisimus et | permittimus in solidum pro nobis et heredibus nostris seu successoribus vniuersis per fidem nomine Juramenti in manus dicti domini Abbatis, necnon notarii publici subscripti presentis stipulantis et recipientis vice et nomine omnium, quorum in- | terest prescripta omnia et singula rata habere perpetue atque firma, nec contra ipsa quoquo modo facere vel venire per nos vel interpositas personas, aut contravenire voluntibus aliqualiter consentire in Judicio vel extra Judi- | cium imposterum vel ad presens de facto vel de Jure quouis quesito Jngenio vel colore, nec literas apostolicas premissis vel sequentibus preiudiciales impetrare vel impetratis vti velle ad horum obseruantiam et ratihabitionem | inuiolabiles nos insolidum et nostros heredes et successores vniuersos firmiter astringentes . . Renunciantes insuper quoad premissa expresse et ex certa scientia exceptioni doli mali in factum accioni quod metus compulsionisve causa | beneficio appellationis et restitutionis in integrum ob quamcunque causam omni- que juri et juris auxilio Canonici et ciuilis consuetudinarii et Mu- nicipalis, scripti et non scripti, omni consuetudini et statuto juri quoque dicenti, renunciationem in | genere factam non valere, nisi precesserit specialis, ac omnibus aliis et singulis exceptionibus et defensionibus tam juris quam facti, quibus aut quarum ope premissa vel subscripta in toto vel in parte cassari possent aut quo- modolibet | retractari. Supplicantes nichilominus sanctissimo in Christo patri ac domino nostro summo pontifici nunc ad apicem summi apostolatus electi vel eligendi humiliter et devote, ut nobis aut procuratoribus nostris quibuscunque non vocatis pro parte | dominorum abbatis et conuentus predictorum ad vniونem et In- corporationem supradictarum ecclesie, altaris et juris patronatus cum prebendis et omnibus juribus prenarratis procedere dignetur sua apostolica benignitate mediante . . In quorum omnium testi- monium | eidens atque robur, presentes literas seu presens pub- licum Instrumentum per notarium publicum infrascriptum scribi et publicari mandauimus et sigillorum nostrorum priorum appen-

sione fecimus communiri. Datum et actum in Monasterio supradicto in Capella sancte Katherine virginis sub anno domini Millesimo Trecentesimo octuagesimo nono, Indictione decima tercia, feria sexta proxima ante festum sancti Thome apostoli, que fuit decima septima dies mensis Decembris, hora prima, sancta sede apostolica pro nunc ut dicitur vacante. Presentibus prouidis et discretis viris fratre Heinrico Breme Lectore fratrum minorum ordinis sancti Francisci domus Lucernensis, domino Johanne Vischelin de steine Plebano parochialis ecclesie in Rifferswile, et Ruodolfo phawe ciue Lucernensi diocesis supradicte testibus ad premissa vocatis pariter et Rogatis. Et ego Nicolaus dictus Schuolmeister clericus Argentinensis diocesis, publicus apostolica et Imperiali auctoritate et Oppidi Lucernensis notarius iuratus, Premissis omnibus et singulis dum ut prefertur agerentur et fierent, vna cum prenominatis testibus presens interfui, eaque sic fieri vidi et audiui. Idcirco hoc presens publicum Instrumentum de Mandato et requisitione dictorum nobilium et dominorum fratrum Heinrici, Hartmanni et Johannis de Hünenberg manu mea propria conscribendo confeci, et in hac publica forma redigi, hic me subscripsi et vna cum appensione sigillorum priorum dictorum trium fratrum signo meo solito et consueto signavi, Requisitus per supradictum dominum Abbatem et eosdem fratres in fidem et testimonium premissorum. — Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu te-merario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum. Datum Rome apud Sanctum Petrum iij Id. Maij. et Pontificatus nostri Anno Secundo. |

P. de Moncella.

Pro. M. de Dulcinio

G. Gregorii.

Franciscus.

Wohlerhalten hängt das Sigillum plumbeum.

8.

1418, 17. März.

Martinus episcopus seruus seruorum dei. Dilecto filio . . . Preposito ecclesie Werdensis Constantiensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Digna exauditionis uota et personarum

humilium maxime diuinis laudibus deditarum apostolico nos conuenit fauore prosequi et ipsarum necessitatibus occurrere prouisionis gratia congruentis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prepositi et Capituli ecclesie sancti Mauricii Zouingen Constantiensis diocesis petitio continebat, quod olim bone memorie Leupoldus dux Austrie ac Aduocatus ecclesie predicte zelo deuotionis ductus et pro compassionis affectu attente considerans, quod ecclesia predicta unacum libris, ornamentis et aliis diuino cultui deputatis edificiis et officinis ac Curiis, habitationibus et domibus ipsius ecclesie ignis uoragine consumpta extiterat, pro sue suorumque progenitorum animarum salute ius patronatus parochialis ecclesie in Rot dicte diocesis quod tunc habebat, Preposito et Capitulo predictis ad finem quod eadem parochialis ecclesia Mense Capitulari ecclesie sancti Mauricii predicte perpetuo uniretur et eius fructus, redditus et prouentus in utilitatem predicte Mense conuerterentur, | pia largitione donauit. Et deinde Venerabilis frater noster Henricus Episcopus Electensis tunc administrator in spiritu alibus et temporalibus ecclesie Constanciensis, per Petrum de Luna in sua obedientia de | qua partes ille tunc erant Benedictum XIII. nuncupatum deputatus, premissorum intuitu parochiale ecclesiam predictam cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem Mense per suas certi tenoris litteras auctoritate ordinaria uniuit, annexuit et incorporauit prout in predictis litteris dicitur plenius contineri. Quare pro parte dictorum Prepositi et Capituli nobis fuit humiliter suppli- | catum, ut eandem parochiale ecclesiam dicte Mense denouo unire, annectere et incorporare de speciali gratia dignaremur. Nos igitur eorumdem Prepositi et Capituli supplicationibus inclinati et | de premissis certam noticiam non habentes, discretioni tue de qua in hiis et aliis speciale in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus si est ita prefatam | parochiale ecclesiam, cuius Decem cum omnibus iuribus et pertinentiis supradictis eidem Mense cuius sexaginta Marcharum argenti puri fructus redditus et prouentus secundum communem | extimationem valorem annum, ut ipsi Prepositus et Capitulum asserunt non excedunt, perpetuo auctoritate nostra unias, incorpores et annectas, ita quod cedente uel decedente moderno Rectore ipsius ecclesie | uel ipsam parochiale ecclesiam alias quomodolibet dimittente, liceat eisdem Preposito et

Capitulo corporalem possessionem eiusdem parrochialis ecclesie auctoritate propria libere apprehendere et in suos et dicte Mense usus perpetuo retinere, diocesani loci et cuiuslibet alterius licentia super hoc minime requisita, reseruata tamen pro perpetuo Vicario in eadem parrochiali ecclesia instituendo | domino inibi perpetuo seruituro, de hujusmodi fructibus, redditibus et prouentibus ipsius parrochialis ecclesie congrua portione, de qua idem Vicarius possit congrue sustentari, Episcopalia iura soluere | et alia sibi incumbentia onera supportare, Contradictores per Censuram Ecclesiaticam appellatione postposita compescendo, Non obstantibus si aliqui super prouisionibus sibi faciendis de parrochia- | libus ecclesiis speciales uel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales apostolice sedis uel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem reseruationem et decretum uel | alias quomodolibet sit processum, quasquidem litteras et processus habitos per easdem, ad eandem parrochiale ecclesiam uolumus non extendi sed nullum per hoc eis quo ad asse- | cutionem parrochialium ecclesiarum aut beneficiorum aliorum preiudicium generari, et quibuslibet priuilegiis indulgentiis et litteris apostolicis generalibus uel specialibus, quorumcunque tenorum exi- | stant, per que presentibus non expressa uel totaliter non inserta effectus earum impediri ualeat quomodolibet uel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de uerbo ad uerbum haben- | da sit in nostris litteris mentio specialis, Nos enim exnunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quauis auctoritate scienter uel ignoranter contigerit attemptari. | Datum Constantie, xvi. kl Aprilis, Pontificatus nostri Anno primo. <sup>1)</sup>

Recepta gratis.

Jo. Langhe.

*Das Bleisiegel hängt.*

<sup>1)</sup> Dieser päpstliche Brief wurde sodann, wie eine zweite Urkunde (Propsteiarchiv) bezeugt, dem genannten Propste von Schönenwerd, Johannes Drüllere, durch Propst und Capitel von Zofingen (Burchardus de Surse Viceprepositus, Nicolaus Pfung Custos, Burchardus Martini, Ludovicus de Lutishofen Cantor, Conradus Martini, Hainricus Wisman et Nicolaus Volrad, canonici) vorgewiesen, und derselbe gebeten, den schwedenden Gegenstand seinem Ende zuführen zu wollen. Der Propst, nachdem er die hierauf bezüglichen Actenstücke sorgfältig geprüft, und Alles

9.

1420, 3. Mai.

Martinus Episcopus servus servorum Dei, Dilecto filio Abbatii Monasterii in Ruite, Constanciensis diocesis, Salutem et apostolicam benedictionem. | Ad apostolice dignitatis culmen divina dispositione vocati, ea que pro personarum ecclesiasticarum presertim regulari observantie deditarum commodo et utilitate prouide facta comperimus, ut illi- | bata persitant, libenter cum a nobis petitur, apostolice confirmationis munimine roboramus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum . . Prepositi et Conventus Monaste- | rii Lucernensis, per Prepositum soliti gubernari, ordinis sancti Benedicti Constanciensis diocesis, petitio continebat, quod olim dilecti filii Wilhelmus Abbas et Conventus Monasterii Morbacensis, | Romane ecclesie immediate subiecti, dicti ordinis, Basiliensis diocesis, pie attendentes, quod dictum Monasterium Lucernense, quod eidem Monasterio Morbacensi immediate subesse dinoscitur, propter guerras | que in illis partibus viguerunt, ac longinas et uarias controversias ac lites, dudum occasione Prepositure eiusdem Monasterii Lucernensis inter diuersas personas diversimode habitas | et exortas, in suis facultatibus adeo depauperatum et destitutum extitit, quod ipsi Prepositus et Conventus Monasterii

der Wahrheit getreu befunden hatte, entledigte sich des vom apostolischen Stuhle ihm gewordenen Auftrages, und sprach die Einverleibung des Kirchensazes zu Not sammt allen Rechthamen und Einkünften, die dazu gehören, an den Tisch der Chorherren in Zofingen aus, und setzte sie hiedurch in vollen Gewalt und Besitz desselben, und gab hievon auch dem Generalvicar des Bischofs von Constanz, als des ordentlichen Oberhirten, Kenntniß. Acta sunt hec sub anno nativitatis domini 1418, Ind. 11. die vero lune 13 Mensis Junii hora completorii uel quasi in opido Zofingensi | et in sacristiga dictae ecclesie sancti Mauritii, Pontificatus dicti domini nostri pape Martini quinti Anno primo, Presentibus ibidem honestis et discretis viris, dominis Volrico Jodoci sancti Johannis Baptiste, Johanne Bütteberg sanctorum Petri et | Pauli, et Johanne Rinach sancti Egidii in dicta ecclesia sancti Mauritii Zofingensi Altarium Capellanis, Presbyteris dictae Constantiensis diocesis Testibus ad premissa vocatis specialiterque rogatis.

Die etwas lange pergamente Urkunde, woran noch das Siegel des Propsts von Werd hängt, ist geschrieben durch Conrad Egghardt, Clericus Constanciensis, publicus apostolica et imperiali auctoritatibus Notarius.

Lucernensis ex residuis ipsius Monasterii Lucernensis facultatibus congrue | sustentari, et alia sibi incumbentia onera supportare nequibant, ac nuper videlicet de Mense Februuarum proxime preterito propter hoc capitulariter congregati, nullis tamen solemnitati- | bus iuris alias in hüs servatis, omnes et singulas decimas ex fructibus in Adewilr et Weniswanden ac aliis quibusvis locis infra parrochialis in Sempach, et eius filialis in Hil- | dissrieden dicte Constantiensis diocesis ecclesiarum, quarum collatio et provisio ad Abbatem dicti Monasterii Morbacensis pro tempore existentem spectabant parrochiam et limites con- | stitutis, pro tempore ex crescentibus provenientes, que tunc ad Mensam Abbatialem eiusdem Monasterii Morbacensis legitime pertinebant, necnon conferendi dictas ecclesias, et de illis etiam | providendi, et quodlibet aliud ius, quod ipsi et prefatum Monasterium Morbacense in eisdem ecclesiis, necnon decimis ac dotalibus et quibusvis aliis bonis et pertinentiis earumdem quomodolibet | habere censemebantur, prefatis Preposito et Conventui Monasterii Lucernensis, et eidem Monasterio per eos perpetuo habenda, tenenda et possidenda, quantum in eis erat, libere donarunt | et concesserunt, prout in quibusdam litteris authenticis desuper confectis eorumdem Wilhelmi Abbatis et Conventus Monasterii Morbacensis sigillis munitis dicitur plenius contineri. | Quare pro parte Prepositi et Conventus Monasterii Lucernensis predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut donationi et concessioni predictis pro eorum subsentia firmiori | robur apostolice confirmationis adiicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur de premissis certam noticiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tue per | apostolica scripta mandamus, quatinus, si est ita, et propter donationem et concessionem huiusmodi prefatum Monasterium Morbacense nimium non grauetur, super quibus tuam conscientiam | oneramus, donationem et concessionem predictas auctoritate nostra approbes et confirmes. Datum Florentie V Nonis Maii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

gratis.

Jo. de Montemartis.

Das Sigillum plumbeum ist angehängt.

10.

1421, 17. März.

Martinus episcopus seruus seruorum dei. Venerabili fratri . . Episcopo Curiensi, Salutem et apostolicam benedictionem. | Conquestus est nobis Johannes Kreptzinger presbiter, perpetuus beneficiatus in ecclesia Monasterii sancti | Leodegarii extra muros Lucernensis, ordinis sancti Benedicti, Constantiensis diocesis, quod Prepositus et Conuentus dicti Monasterii per Prepositum soliti gubernari, ordinis predicti, et Johannes Reber presbiter | dicte diocesis, ipsum perpetuo beneficio quod in ecclesia dicti Monasterii obtinet, quodque beneficium clericis secula- | ribus consuetum extitit assignari, et quod canonice fuerit assecutus ac aliquandiu tenuerat et possede- | rat, et tunc etiam tenebat et possidebat pacifice et quiete, contra iustitiam spoliarunt. Cum igitur spolia- | tis iniuste sit restitutionis beneficio succurrendum, et dictus conquerens sicut asserit, potentiam dicatorum | Prepositi et Conuentus ac presbiteri merito perhorrescens, eos infra Ciuitatem seu diocesin Constantiensem nequeat | conuenire secure, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus uocatis qui fuerint euocandi, | et eodem Johanne sicut iustum fuerit restituto, auditis hincinde propositis quod canonicum fuerit appella- | tione remota decernas, faciens quod decreueris per censuram ecclesiasticam firmiter obseruari. Testes autem, | qui fuerint nominati, si se gratia, odio uel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante compellas | ueritati testimonium perhibere. Datum Rome apud Sanctum Petrum xvij. kl. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Quinto.)

Gratis pro deo.

Erasmus.

Wie bei den übrigen Bullen an einer gelb und roth seidenen Schnur, hängt hier das Sigillum plumbeum an einem Stricke.

Johannes Krepfinger, Antons Sohn, wurde mit der Laienpföründe belehnt den 19. Horn. 1419, Johannes Stäber aber den 25. Octob. 1419, zumal Krepfinger eines verübtet Todschlages wegen dieses Beneficium verwirkt hatte. — Es scheint aber laut obiger Bulle und nach vorgenommenem Untersuche der Sache Krepfinger schuldlos erfunden worden zu sein. (Stadtarchiv.)

11.

1455, 22. Mai.

Calistus episcopus servus servorum Dei venerabili fratri episcopo Constantiensi salutem et apostolicam benedictionem. Apostolice servitutis officium nobis licet immeritis ex alto commissum nos excitat et | inducit, ut circa ea, que cunctis semotis dispendiis ad Dei laudem et divini cultus cedunt augmentum, quantum cum Deo possumus, operosis studiis favorabiliter intendamus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prepositi et conventus | Monasterii sancti Leodegarii Lucernensis Ordinis Sancti Benedicti per Prepositum soliti gubernari, Constantiensis diœcesis, petitio continebat, quod a tanto tempore circa cuius initii sive contrarii hominum memoria non existit, in dicto monasterio promiscui| fuerunt instituti monachi et seculares clerici, qui licet equaliter sint prebendati, et portiones eae inibi percipient, non tamen in una domo morari, neque in uno refectorio refici, nec aliquam regularem observantiam tenere, sed singuli singulas | domos suas inhabitare, et in illis prout sibi placet refici consueverunt. Et quamvis ipsi monachi professionem faciant regularem, tamen tempore professionis hujusmodi, aut etiam ante vel post nulla eis regula legitur uel exponitur, nec aliud | eis injungitur ultra consuetudinem predictam. Contingitque sepius, Prepositum, monachos, et seculares clericos predictos ecclesiam dicti monasterii et unum chorum intrantes, ac permixtim cantantes et legentes, quod ex hoc propter disparitatem | cantus, diversitatem officiorum et habituum, confusiones, rixæ et scandala plurima sequuntur, propter que divinum officium aliquando interrupitur, aliquando etiam in totum pretermittitur, charitas extirpatur, odium, rancor et invidia | generantur. Et quia dictum monasterium curam animarum et magnum populum habet, in ministrando ecclesiastica sacramenta inter eosdem monachos et clericos divisiones ingeruntur, quodque propter paucitatem religiosorum et simplicitatem | regalia bona feudalia, et alia ipsius monasterii jura alienata noscuntur, et nisi opportune succurratur, idem monasterium in totalem ruinam tendet et desolationem. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, si monachi et | clerici predicti unius professionis et habitus existerent, ipsumque monasterium, ordine et nomine monasterii hujusmodi inibi suppressis penitus et extinctis, de regulari statu monastico in secularem et collegiatam

ecclesiam mutaretur | et erigeretur , in qua quidem ecclesia canonici et capellani seculares , prout in aliis collegiatis ecclesiis civitatis et dicte diœcesis Constantiensis esse consueverunt, et de presenti sunt, pro tempore instituerentur , omnia, divisiones, negligentie, | atque scandalia predicta submoverentur. Et quia pro tunc literati et potentes ad ipsam ecclesiam verisimiliter anhelarent, monasterium ipsum sic in collegiatam ecclesiam mutatum et erectum ad bonum statum reduceretur , et alienata | predicta recuperarentur, pro parte eorumdem Prepositi et conventus nobis fuit humiliter supplicatum, ut in predicto monasterio statum monasticum atque prefatum ordinem penitus suppressere et extinguere , ac illud in collegiatam | ecclesiam secularem cum insigniis, preeminentiis, juribus, titulis collegiate ecclesie competentibus, erigere atque mutare , nec non certum numerum canonicorum canonicatumque et prebendarum dignitatum, officiorum, et capellaniarum, | in eadem instituere, ipsam quoque omnibus et singulis insigniis, libertatibus, immunitatibus, privilegiis, exemptionibus et indultis, que aliis collegiatis ecclesiis illarum partium competunt, seu competere poterunt de consuetudine vel de | jure, gratiose attollere et decorare, ac cum ipsis Preposito, monachis et novitiis, qui in presentiarum in dicto monasterio recepti sunt, ut videlicet Prepositus unacum Prepositura canonicatum et prebendam, et singuli monachi, | quorum tres, singulique novitii dicti monasterii, quorum quinque duntaxat existunt, singulas Prebendas, quodque monachi predicti, qui in presentiarum officia claustralicia in dicto monasterio habent, loco illorum dignitates et officia | in eodem, postquam in collegiatam ecclesiam mutatum fuerit, quoad vixerint habere, recipere et retinere, nec non in horis canonicis divino officio, cantu ac aliis ceremoniis ceteris canonicis et clericis secula- | ribus in ecclesia, et extra, se conformare possint et valeant, dispensare ac alias in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui cunctorum Cristi fidelium tranquillitati libenter providemus, | cupientesque divinum cultum nostris potissime temporibus ubilibet adaugeri, atque animarum salutem Deo propitio propensius procurari, de premissis tamen certam notitiam non habentes , hujusmodi supplicationibus inclinati, frater- | nitati tue per apostolica scripta comittimus et mandamus, quatinus per te ipsum super premissis omnibus et singulis, ac eorum circumstantiis universis auctoritate

nostra te diligenter informes, et si per informationem hujusmodi ita esse repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, nomen monasterii, et Ordinem ac statum monasticum in dicto monasterio eadem auctoritate penitus suppressas et extinguis, ipsumque monasterium sive illius locum | ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, ejusque gloriose genitricis virginis Marie et Sancti Leodegarii, sub cuius vocabulo ipsum monasterium constructum et erectum esse dinoscitur, ac divini cultus augmentum, in | secularem et collegiatam ecclesiam cum omnibus insigniis, honoribus, preeminentiis et titulis collegiate ecclesie quomodolibet competentibus, ita quod olim monasterium, deinceps collegiata ecclesia Sancti Leodegarii perpetuis | futuris temporibus nuncupetur, dicta auctoritate erigas atque mutes, ipsamque ecclesiam taliter erectam, et postquam erectionem et mutationem hujusmodi feceris, ut prefertur, omnibus et singulis insigniis, libertatibus, immunitatibus, privilegiis, exemptionibus, et indultis, que aliis collegiatis ecclesiis illarum partium competunt, seu competere poterunt de consuetudine vel de jure, gaudere debere decernas, nec non certum numerum secularium canonicorum ac cano- | nicatum, prebendarum, dignitatum, officiorum, et capellaniarum, prout fructus, redditus et proventus dicti monasterii ad id sufficere poterunt, instituas, ac cum supra dictis Preposito, monachis et novitiis, qui ut prefertur in pre- | sentiarum in dicto monasterio recepti sunt, ut videlicet Prepositus unicum Prepositura canonicatum et prebendam, ac singuli monachi et novitii predicti singulas prebendas, quodque iidem monachi, qui in presentiarum | officia claustralicia in dicto monasterio habent, loco illorum alia dignitates et officia in hujusmodi erigenda collegiata ecclesia quoad vixerint habere, recipere et retinere, nec non in horis canoniciis, divino officio, cantu | et aliis ceremoniis, ceteris canoniciis et clericis secularibus in ecclesia et extra se conformare libere et licite possint et valeant, salvis tamen in aliis predictorum monachorum regula et statu monachali, dispenses, ita quod decentibus Preposito, monachis et novitiis predictis, Prepositura nec non canonicatus, prebende, dignitates et officia eorundem clericis secularibus conferantur, ac canonici capellanique instituendi predicti nulli subsint, nisi | juxta juris communis dispositionem loci Ordinario et suo Preposito, qui fuerint pro tempore duntaxat, aliasque in premissis disponas, facias, ordines et exequaris, que pro mu-

tatione dicti monasterii et erectione ecclesie predicte | ac omnium premissorum plenaria executione, seu in eis, quomodolibet necessaria fuerint vel etiam opportuna, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstantibus superioritate, quam | dilectus filius abbas monasterii Morbacensis dicti Ordinis Basiliensis diœcesis in dicto monasterio Sancti Leodegarii Lucernensis habere pretendit, nec non constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac monasteriorum et Ordinis | predictorum, juramento, confirmatione apostolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominice | Millesimo, quadringentesimo, quinquagesimo quinto, Vndecimo Kalendarum Junii, Pontificatus nostri Anno Primo.

M. Joannes f.

Das Bullensiegel in Blei hängt.

## 12.

**1456, 26. Brachm.**

Calistus Episcopus Seruus Seruorum Dei. Venerabili fratri Episcopo Constantiensi, Salutem et apostolicam benedictionem. Humilibus | supplicum uotis libenter annuimus eaque fauoribus prosequimur oportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Vniuersitatum et homi- | num Lucernensium, Switensium et de Zug ac aliorum districtuum et pertinentiarum eorumdem, Constantiensis diocesis locorum et hominum petitio continebat, | quod loca predicta inter montes, alpes, ualles et colles, in quibus oliue non crescunt nec oleum oliuarum commode haber potest pro eorum sustentatione, butiro, | lacte aliisque lacticiniis etiam Quadragesimali tempore et diebus quibus hujusmodi lacticiniorum esus est interdictus, communiter uesci consueuerunt | a tanto tempore cuius contrarium in memoria hominum non existit. Quare nobis humiliter supplicarunt, ut ad clarificationem conscientiarum ipsorum | cum eis, quod perpetuo lacticiniis hujusmodi tempore Quadragesimali et diebus predictis perpetuis futuris temporibus libere et licite vesci possint dispen- | sare de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque de premissis noticiam certam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati | tue

de qua in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus super premissis | omnibus et singulis auctoritate nostra te diligenter informes, et si ita est ac per informationem hujusmodi uideris, Vniuersitatibus et hominibus predictis | hujusmodi dispensationem expedire, super quo tuam conscientiam oneramus, cum ipsis Vniuersitatibus et hominibus eorumque successoribus perpetu | tuis futuris temporibus, ut dicto tempore Quadragesimali et diebus quibus hujusmodi lacticiniorum esus est interdictus, butiro, lacte et | aliis lacticiniis ut consueverunt, libere et licite vesci possint et valeant eadem auctoritate nostra misericorditer dispenses. Constitutionibus et ordi- | nationibus apostolicis ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice | Millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto. Sexto kl. Julii. Pontificatus nostri Anno Secundo. | <sup>1)</sup>)

P. de Legendorff.

M. Ferrarii.

A. Junipe.

Sigillum plumbeum adest.

### 13.

**1479, 14. Horn.**

Sixtus Papa IV.

Dilecti filii salutem et apostolicam benedictionem. Attendentes sincere deuotionis affectum, quem ad sanctam Romanam ecclesiam more bonorum Catholicorum gerere comprobamini, et | quod vos indefessis animis pro fidei catholice tutela et exaltatione pugnatis, petitionibus vestris, quantum cum deo fieri potest, paternum libenter prestamus | assensum. Vestris itaque humilibus et deuotis in hac parte supplicationibus inclinati, vobis vt in insigniis et armis vestris Saluatorem nostrum in monte oliueti orantem in vexillo cum iis coloribus qui uobis videbuntur, perpetue habere et gestare libere et licite possitis ac valeatis, apostolica auctoritate presentium tenore | concedimus, Insigniaque et arma hujusmodi iuxta pium

<sup>1)</sup> Für beide Unterwalden gab Bischof Hermann von Constanz sub 16. Aug. 1473 dieselbe Vergünstigung, und der Nuntius **Ennius Philonardus** für Niedwalden insbesondere, auch mit Räss, die Chärwoche ausgenommen, den 1. Sept. 1533.

desiderium vestrum vobis ex nunc tradimus et assignamus: Confidentes in bonitate et pietate | vestra, quod hoc venerando saluatoris signo non nisi in pio et justo bello ac pro defensione fidei christiane et honore et statu prefate Sancte Romane Ecclesie ute-mi. Datum Rome | apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris Die xiiij Februarii MCCCC Lxxviiij. Pontificatus nostri Anno octauo. |

J. Grifus.

Vom Siegel sind nur noch wenige Spuren sichtbar.

Ueberschrift: Dilectis filiis Sculteto et Consulibus Opidi Lucernensis.

#### 14.

##### 1480, 13. Jänners.

Sixtus Episcopus Seruus Seruorum Dei, ad Perpetuam Rei Memoriam. | Romani Pontificis, cui potestatis plenitudo diuinitus est concessa, prouidencia circumspecta ad ea libenter intendit, per que dignatum et beneficiorum ecclesiasticorum status prospere dirigi ualeat et hiis | que propterea ac etiam pro pace et tranquilitate inter fideles quoslibet firmando et conseruanda facta fuisse comperit, ut perpetuo illibata permaneant, libenter adiicit apostolici muniminis firmitatem. | Sane accepimus quod olim postquam ecclesia sancti Leodegarii Opidi Lucernensis Constantiensis diocesis Maguntinensis Prouincie, que antea Monasterium ordinis sancti benedicti fuerat, per bone | memorie Henricum tunc Episcopum Constantiensem ex commissione sibi uigore quarumdam literarum felicis recordationis Calixti Pape III. predecessoris nostri super hoc facta, ad secularem et collegiatam ecclesiam | sub certis tunc expressis modo et forma reducta extiterat, pro euitandis scandalis et dissensionibus, que inter dilectos filios illius Prepositum et Capitulum ac Consulatum dicti Opidi | suscitari formidabantur; et ut pacis et concordie suavitas inter eos perpetuo uigeret, tractante et consenteiente prefato Episcopo inter ipsos compositum conuentum et concordatum extitit, quod ex tunc | deinceps occurrente uacatione Prepositure dicte ecclesie, que inibi dignitas principalis existit, consulatus predicti in electione illius Prepositi vnacum eisdem capitulo interuenire, | ipsique Prepositus, Capitulum et Consulatus ad Can-

nicatus et prebendas ipsius ecclesie illorum uacationibus occurrentibus personas ydoneas eidem Preposito, qui eas institueret, communiter | presentare haberent, prout in quibusdam publicis documentis desuper confectis dicitur plenius contineri<sup>1)</sup>. Nos igitur qui pacis et concordie federa inter fideles quoslibet uigere intensis | desideriis affectamus, cupientes ut compositio, conuentio et concordia predicte perpetue firmitatis robur obtineant, motu proprio non ad alicuius nobis super hoc oblate petitionis | instantiam, sed de nostra mera deliberatione compositionem, conuentionem et concordiam prefatas, ac prout illas concernunt omnia et singula in prefatis documentis contenta et inde secuta | quecumque, auctoritate apostolica tenore presentium ex certa scientia approbamus et confirmamus, illaque perpetue firmitatis robur obtainere ac perpetuis futuris temporibus obseruari debere de- | creuimus, supplemusque omnes et singulos defectus, si qui forsan interuenerint in eisdem. Et nichilominus eisdem motu, auctoritate et scientia statuimus et ordinamus, quod deinceps | Prepositus dicte ecclesie modo premisso eligi debeat, ac pro confirmatione sue electionis ad sedem apostolicam infra tres Menses accedere seu mittere, et pro annata seu mediis fructibus | dicte Prepositure Cammere apostolice satisfacere teneatur. Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac statutis et consuetudinibus dicte ecclesie iuramento, confirmatione apostolica uel quavis firmitate alia roboratis, certisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre approbationis, confirmationis, constitutio- | tionis suppletionis, statuti et ordinationis infringere uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri | et Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo septuagesimo nono, Id. Januarii. | Pontificatus nostri Anno Nono. |

Gratis etc. etc.

A. Trapezuntius.

G. Bonattus.

Das Bleifiegel ist angehängt.

---

<sup>1)</sup> Siehe den Schweigerischen Brief vom 13. Herbstm. 1456, abgedruckt im Geschfrd. V. 297.

15.

## 1480, 13. Jänners.

Sixtus Episcopus Seruus Seruorum Dei, ad Perpetuam Rei Memoriam. | Ad profectum quarumlibet presertim insignium Collegiarum ecclesiarum ex commisso nobis desuper apostolice seruitutis officio diligenter intendimus, et hiis que pro illarum utilitatibus prouide facta fuisse | conspicimus, ut firma perpetuo et illibata permaneant, cum a nobis petitur apostolice confirmationis robur fauorabiliter adhibemus. Sane pro parte dilectorum filiorum Petri Brunenstein Prepositi | et Capituli ecclesie sancti Leodegarii Opidi Lucernensis Constantiensis Diocesis Maguntiensis Prouincie nobis nuper exhibita petitio continebat, quod nuper ipsi circa ecclesie predicte commoda procuranda solicite | intendentes ac prouide considerantes, quod ecclesia ipsa nonnullas piscarias, mortuaria, feudalia et alia immobilia cum quibusdam bonis dilectorum filiorum Consulatus dicti Opidi permixta ac etiam | alia bona habebat, ex quibus ecclesia ipsa modicam utilitatem percipiebat, ipsiusque ecclesie conditionem meliorare uolentes, permixta predicta cum eisdem Consulatu pro aliis bonis immobilibus | et annuis redditibus eidem ecclesie magis utilibus permutarunt, quedam uero alia ipsius ecclesie bona in euidentem utilitatem dicte ecclesie alienarunt, prout in diuersis publicis instrumentis | desuper confectis dicitur plenius contineri. Quare pro parte Prepositi et Capituli predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut permutationibus et alienationibus premissis | pro illarum subsistentia firmiori robur apostolice confirmationis adiicere aliasque in premissis oportune prouidere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui ad plenum informati sumus, quod permutationes et alienationes predicte in euidentem utilitatem dicte ecclesie cesserunt et cedunt, bonorum predictorum nomina, cognomina, qualitates, quantitates, confines | et veros valores, necnon dictorum instrumentorum tenores presentibus pro expressis habentes, hujusmodi suplicationibus inclinati, permutationes et alienationes predictas ac prout | illas concernunt omnia et singula in prefatis instrumentis contenta et inde secuta quecunque, auctoritate apostolica tenore presentium ex certa scientia approbamus et confirmamus | ac presentis scripti patrocinio communimus. Decerentes illa perpetue firmitatis robu. obtinere, supplentesque omnes

et singulos defectus tam iuris quam facti, si qui forsan interuerint in eisdem. Non obstantibus felicis recordationis Pauli Pape II. predecessoris nostri, et quibusuis aliis Constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon statutis et consuetudinibus dicte ecclesie iuramento, confirmatione apostolica uel quauis firmitate alia roboratis ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam | nostre approbationis, confirmationis, communicationis, constitutionis et suppletionis infringere uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice | Millesimo quadringentesimo septuagesimo nono. Id. Januarii. Pontificatus nostri Anno Nono. |

A. Trapezuntius.

G. Bonattus.

Das päpstliche Siegel hängt vollkommen.

## 16.

1480, 13. Jänners.

Sixtus Episcopus, Seruus Seruorum Dei, Ad Perpetuam Rei Memoriam. | Ad Romani Pontificis solitudinem pertinere dinoscitur tatiter prouidere, ut transgressorum insolentie debita animadversione puniantur, et uotis illis gratum solet prestare assensum, per que premissa ualeant salubriter | procurari. Sane pro parte dilectorum filiorum Sculteti et Consulatus opidi Lucernensis Constantiensis diocesis Maguntinensis Provincie nobis nuper exhibita petitio continebat, quod quamplura beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura in | diversis locis dicte diocesis consistentia de eorum iure patronatus fore noscuntur, contingitque interdum, quod illa obtinentes uaria crimina, excessus et delicta committunt, que propter superiorum suorum negligentiam aut alias remanent | impunita, unde obtinentes ipsi criminibus, excessibus et delictis hujusmodi diutius remanent laqueati in suarum et sibi commissarum fidelium animarum periculum ac pernitosum exemplum et scandalum plurimorum. Quare pro | parte Sculteti et Consulatus predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut ad obuiandum scandalis et animarum periculis hujusmodi in premissis oportune prouidere de

benignitate apostolica dignaremur: Nos igitur, | qui libenter scandala de medio tollimus et animarum periculis quantum cum Deo possumus obuiamus, et ad quos pertinet, ut per nostre prouisionis auspicia peruersorum temeritas reprimatur, hujusmodi supplicationibus | inclinati, auctoritate apostolica tenore presentium ex certa scientia statuimus, decernimus et etiam ordinamus, ut alter ex Lucernensium uel Beronensium dicte diocesis ecclesiarum Prepositis, quem | Scultetus et Consulatus prefati pro tempore ad id duxerint eligendum, tales criminosos, ut a suis criminibus, delictis et excessibus cessent et desistant, apostolica auctoritate monere ualeant; et si tales sic alias tamen | canonice moniti a premissis criminibus, delictis et excessibus infra tempus eis per alterum ex Prepositis hujusmodi prefigendum desistere contumaciter neglexerint, ex tunc alter ex Prepositis predictis Lapso | dicto termino eosdem criminosos id aliter exposuerint, suis beneficiis ecclesiasticis cum cura et sine cura, dummodo dignitates seu Canonicatus et prebende non fuerint, eadem auctoritate priuare et ab eis | realiter amouere, ipsaque beneficia aliis personis ydoneis, etiam quemque, quotamque et qualiacunque beneficia ecclesiastica obtinentibus et expectantibus, dicta auctoritate conferre et de illis etiam prouidere, necnon | omnia et singula in premissis et circa ea necessaria seu quomodolibet oportuna facere et exequi libere et licite possint et debeant. Non obstantibus Constitutionibus et ordinacionibus, nec non quibusuis priuilegiis, | indultis et litteris apostolicis generalibus uel specialibus eisdem criminosis concessis et impostorum concedendis, quorūcunque tenorum existant, per que presentibus non expressa uel totaliter non inserta effectus earum impediri ualeat | quomodolibet uel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis, necnon statutis et consuetudinibus ecclesiarum in quibus beneficia hujusmodi forsitan fuerint, iuramento, confirmatione | apostolica, uel quauis firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre constitutionis, decreti et ordinationis infringere uel ei ausu temerario contraire. | Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Rome apud sanctum Petrum Anno

Incarnationis Dominice | Millesimo quadringentesimo septuagesimo nono. Id. Januarii. Pontificatus nostri Anno Nono. |

Gratis etc. etc.

A. Trapezuntius.

Sinolfus.

Sigillum plumbeum pendet.

### 17.

#### 1480, 13. Jänners.

Sixtus Episcopus Servus Servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. | Boni et eterni pastoris qui oves suas cognoscit uices licet immeriti gerentes in terris, eiusque exemplo laudabili informati ad ea nos decet sollicite uigilare, per | que oves nobis ab ipso credite nostre solicitudinis studio ad eterne beatitudinis ouile ualeant feliciter peruenire. Cupientes igitur dilectorum filiorum | universorum incolarum et habitatorum opidi Lucernensis Constantiensis dioceseos Moguntine prouintie et illius districtus animarum prouidere saluti auctoritate apostolica | tenore presentium perpetuo statuimus et etiam ordinamus, quod vniuersi et singuli fideles incole et habitatores Opidi et districtus eorumdem uere penitentes et | confessi, qui post eleuationem corporis christi in majori aut populari Missa quarumcunque ecclesiarum in Opido et districtu Lucernensi quinques orationem | dominicam, et totiens salutationem angelicam flexis genibus et eleuatis manibus deuote recitaverint, seu de sero dum Salve Regina | uel alia Antiphona de gloria Virgine dei genitrici Maria in ecclesia sancti Leodegarii seu Capella sancti Petri dicti opidi ejus | filiali decantatur ibidem deuote interfuerint, relaxationem trium annorum et totidem Quadragenarum de iniunctis eis penitentiis consequantur. | Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti et ordinationis infringere uel ei ausu temerario contraire. Si quis | autem hoc attemptare presumserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum. | Datum Rome apud sanctum Petrum Anno incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo septuagesimo nono Idibus Januarii | Pontificatus nostri Anno Nono.

Gratis de mandato smi dm nr̄i pape G. Bonattus.

A. d. Muccianelly. Expedita per me petrum

brunenstein prepositum Lucernensem.

Das Bleisiegel hängt an der pergamenen Bulle.

18.

## 1480, 13. Jänners.

Sixtus Episcopus, Seruus Seruorum Dei, Ad Perpetuam Rei Memoriam. | Probate devotionis integritas, quam dilecti filii Consulatus Opidi Lucernensis Constantiensis diocesis Maguntinensis Provincie ad Romanam Ecclesiam et sedem apostolicam | indefesse hactenus gesserunt et gerere comprobantur, non indigne meretur, ut eorum votis, illis presertim ex quibus suarum et aliorum fidelium salus animarum procuratur, | quantum cum deo possumus fauorabiliter annuamus. Cum itaque sicut exhibita nobis nuper pro parte Consulatus predictorum petitio continebat, illis interdum | opus sit pro eorum ipsisque confederatorum colligatorum et subditorum patriis, territoriis, dominiisque tutandis Exercitum congregare desiderentque propterea, Armigerorum | suorum animarum saluti per sedis apostolice liberalitatem salubriter prouideri. Nos eorumdem Consulatus in hac parte supplicatioibus inclinati, auctoritate apostolica tenore presen- | tium ex certa scientia statuimus et ordinamus, ut liceat eisdem Consulatui habere Altare portatile seu Altaria portatilia cum debita reuerentia et honore, | super quo vel quibus etiam in eorum castris locis tamen ad hoc alias congruis et honestis etiam in eorumdem Consulatus absentia coram Exercitu et Armigeris predictis in nostra et successorum nostrorum Romanorum Pontificum deuotione existentibus iustoque bello interessentibus, per proprios uel alios sacerdotes ydoneos | Missas et alia diuina officia ubique locorum et in quacunque diocesi absque tamen alicuius preiudicio celebrari facere, ipsique sacerdotes eorumdem Armigerorum confessiones audire, illisque auditis ipsis a quibuscumque eorum peccatis, criminibus, delictis et excessibus, dummodo talia non fuerint propter que sedes apostolica esset | merito consulenda, absolvere eisque penitentiam salutarem iniungere predicta auctoritate ualeant, Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus | apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti et ordinationis infringere uel ei ausu temerario | contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis do-

minice Millesimo quadringentesimo septuagesimo nono. Id Januarii. |  
Pontificatus nostri Anno Nono. |

Gratis etc.

A. Trapezuntius.

N. de Benzis.

Das Siegel ist noch vorhanden.

## 19.

### 1480, 13. Jänners.

Sixtus Episcopus Seruus Seruorum Dei, ad Perpetuam Rei Memoriā. | Dignum imo potius debitum reputamus, ut hii quorum fides et deuotio erga Romanam ecclesiam et sedem apostolicam diutius est probata ab eadem sede | singularibus gratiis et honoribus decorentur, ut per illos eorum accrescat deuotio, et ad eiusdem ecclesie et catholice fidei defensionem animus feruentius accendatur. | Hinc est quod nos attente considerantes inconcussam fidei constantiam et sincere deuotionis affectum, quem dilecti filii Scultetus et Consules Opidi | Lucernensis Constantiensis diocesis Maguntinensis Provincie, ad ecclesiam et sedem predictas gesserunt hactenus et indefesse gerere comprobantur, labores etiam quos | pro fidei tutela et exaltatione pertulerunt, et propterea ipsos singulari honoris prerogatiua attollere uolentes, ipsorum piis ac devotis supplicationibus inclinati, | auctoritate apostolica tenore presentium statuimus et ordinamus, ac eisdem Sculteto et Consulibus indulgemus, ut deinceps perpetuis futuris temporebus in eorum armis et insigniis signum siue figuram Salvatoris nostri Jhesu Christi in Monte Oliueti orantis in Vexillo cum coloribus ad id conuenientibus | et qui ipsis uidebuntur, habere et gestare libere valeant et impune, Insigniaque et arma hujusmodi ipsis iuxta eorum pium desiderium ex nunc tradimus | et assignamus. Intendentes quod hujusmodi venerando Salvatoris signo non nisi in iusto bello ac pro defensione fidei supradicte necnon honore et statu | prefate Romane ecclesie utentur. Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac legibus Imperialibus et statutis Municipalibus | ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis, concessionis, traditionis, assignationis | et intentionis infringere uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presump-

serit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri | et Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Milesimo quadringentesimo septuagesimo nono. | Id. Januarii. Pontificatus nostri Anno Nono. |

Gratis etc.

A. Trapezuntius.

G. Bonattus.

An dem Briefe hängt das gewohnte Siegel.

## 20.

### 1480, 13. Jänners.

Sixtus Episcopus Seruus Seruorum Dei, ad Perpetuam Rei Memoriam. | Intenta semper salutis operibus apostolice sedis copiosa benignitas, ad ea libenter sue solicitudinis studium conuertit, per que fidelium singulorum | salus animarum ualeat peruenire. Sane pro parte dilectorum filiorum Consulatus Opidi Lucernensis Constantiensis diocesis Maguntinensis Prouincie | nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ex quadam in dicto Opido introducta consuetudine seu potius corruptela precones et familiares publici | dictorum, Consulatus sacramentum Eucaristie non recipiunt, nec ecclesiarum Rectores illud eis ministrare curant in eorumdem preconum et familiarium | animarum dispendium non modicum. Nos igitur ipsorum animarum saluti prouidere uolentes, Consulatus predictorum in hac parte supplicationibus incli- | nati, auctoritate apostolica tenore presentium ex certa scientia statuimus et etiam ordinamus, quod deinceps perpetuis futuris temporibus liceat eisdem Preconibus | et familiaribus, qui pro tempore fuerint, predictum Eucaristie sacramentum ab eorum propriis Rectoribus temporibus statutis prout alii Christi fideles recipere | consueuerunt, recipere, ipsique Rectores alio non obstante canonico illud eisdem sicut ceteris fidelibus ministrare teneantur. Non obstantibus consuetudine predicta ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti et ordinationis infringere uel | ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemp-tare persumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum | eius se nouerit incursurum. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Milesimo qua-

dringentesimo septuagesimo nono, | Id. Januarii. Pontificatus nostri  
Anno Nono. |

Gratis etc.

A. Trapezuntius.

G. Bonattus.

Pendet Sigillum plumbeum.

## 21.

### 1480, 13. Jänners.

Sixtus Episcopus Seruus Seruorum Dei, Ad Perpetuam Rei  
Memoriam. | Circa cunctorum fidelium salutem animarum procu-  
randam semper intenta sedis apostolice benignitas ea non immerito  
statuit et ordinat, per que semotis conscientiarum | scrupulis vniuer-  
sis salus ipsa ualeat salubriter prouenire. Cum itaque, sicut exhibita  
nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Consulatus Opidi Lucer-  
nensis | Constantiensis diocesis Maguntinensis prouincie petitio con-  
tinebat, ipsi interdum Exercitum Armigerorum et Stipendiariorum  
pro eorum ipsisque confederatorum coniunctorum | et colligatorum  
patriis, territoriis, dominiis et iuribus prosequendis et defendendis  
congregare et parare habeant oporteatque aliquando Armigeros et |  
stipendiarios eosdem conflictibus et preliis cum aduersariis se in-  
gerere, ubi persepe homicidia, incendia, rapine et uaria alia excessus  
et crimina committuntur; Nos ipsorum animarum saluti prouide-  
re cupientes, eorumdem Consulatus in hac parte supplicationibus  
inclinati, auctoritate apostolica tenore pre- | sentium ex certa sci-  
entia statuimus et etiam ordinamus, ut Rectores parochialium ec-  
clesiarum dicti Opidi et ejus districtus . qui nunc sunt et pro tempo- |  
re fuerint, perpetuis futuris temporibus Armigeros et stipendiarios  
predictos, dum illos a bellis et conflictibus iustis tamen aut pro  
Romana ecclesia | susceptis et factis redire contigerit, eorum con-  
fessionibus diligenter auditis, singuli uidelicet Rectores eos ex pre-  
dictis, qui ipsorum parochiani fuerint | a quibuscumque homicidiis,  
incendiis, rapinis et violentiis ac quibusuis aliis peccatis, excessibus  
et delictis per eos in hujusmodi conflictibus pro tempore | ut pre-  
mittitur perpetratis, presbitericiis, nisi presbiteri se bellis perso-  
naliter ingererent, uoluntariisque incendiis ecclesiarum, raptu vir-  
ginum, illarumque et aliarum mulierum | uiolenta compressione ex-  
ceptis, absoluere et eis salutares penitentias iniungere, penitentias-  
que ipsas, si publice eis iniungi debent, personarum et excessuum |

qualitate pensata, super quo eorumdem Rectorum conscientiam oneramus, in occultas commutare auctoritate apostolica, libere et licite ualeant, Non obstantibus | Constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti et | ordinationis infringere uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum | Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursum. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice | Mille-simo quadringentesimo septuagesimo nono. Id. Januarii. Pontifica-tus nostri Anno Nono. |

Gratis etc.

A. Trapezuntius.

N de Benzis.

Das Bullensiegel hängt.

## 22.

### 1480, 13. Jänners.

Sixtus Episcopus Seruus Seruorum Dei, Ad Perpetuam Rei Memoriam. | Piis supplicum uotis ex quibus presertim fidelium ad salutis opera excitatur deuotio libenter annuimus eaque fauoribus prosequimur oportunis. Sane pro parte dilectorum filiorum | Prepositi sancti Leodegarii ac vniuersorum Rectorum seu Curatorum aliarum parochialium ecclesiarum Opidi Lucernensis Constantiensis diocesis Maguntinensis Prouincie nobis nuper | exhibita petitio con-tinebat, quod licet ipsi eorumque predecessores qui hactenus fu-erunt Prepositi et Rectores aut Plebani seu Curati ecclesiarum pre-dictarum a tanto tempore de cuius initio | sine contrario memoria hominum non existit, per dictum Opidum ad illius infirmos sacra-mentum Eucaristie in uase uitreo siue cristalino publice et euiden-ter deferre con- | sueuerint, nichilominus pro eorum conscientie puritate desiderant consuetudinem ipsam per sedem apostolicam approbari, et quod hoc eis de cetero liceat statui et etiam ordi-nari. Nos | itaque Prepositi et Curati eorumdem in hac parte supplicationibus inclinati, consuetudinem predictam auctoritate apo-stolica tenore presentium approbamus, statuimus et etiam | ordi-namus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus liceat Prepo-sito et Curatis dictarum ecclesiarum, qui nunc sunt et pro tempore fuerint, per se et ab eis pro tempore deputatos | per dictum opidum

duntaxat sacramentum prefatum publice et euidenter in vase vitro  
seu Cristalino aut alias transparenti ad infirmos eosdem cum debitiss  
honore | et reuerentia deferre. Non obstantibus Constitutionibus et  
ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli  
ergo omnino hominum | liceat hanc paginam nostre approbationis,  
statuti et ordinationis infringere uel ei ausu temerario contraire.  
Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignatio- | nem  
omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se  
nouerit incursum. Dat. Rome apud Sanctum Petrum Anno In-  
carnationis dominice | Millesimo quadringentesimo septuagesimo  
nono, Id. Januarii. Pontificatus nostri Anno Nono. |

Gratis etc. etc.

A. Trapezuntius.

G. Bonattus.

**Das Bleisiegel hängt.**

## 23.

### 1480, 13. Jänner.

Sixtus Episcopus, Seruus Seruorum Dei, Ad Perpetuam Rei  
Memoriam. | Decorem domus dei supremis zelantes affectibus, ad  
ea nostre mentis oculos libenter conuertimus, per que ecclesiis  
singulis ac personis in illis diuinis laudibus intentis | decus et honor  
accrescat, ut per hoc ad illas fidelium devotio eo ferventius augea-  
tur, quo exinde suarum sperauerint consequi salutem animarum.  
Hinc est quod nos ecclesiam | sancti Leodegarii Opidi Lucernensis  
Constantiensis diocesis Maguntinensis Provincie, que insignis Colle-  
giata est, ac personas in ea diuina officia pro tempore celebrantes |  
dignis honoribus attollere cupientes, ut per hoc ad illam fidelium  
eorumdem magis accrescat devotio, ipsique fideles diuinis officiis  
attentiores reddantur, dilectorum | filiorum Consulatus ejusdem opidi  
in hac parte supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica tenore  
presentium perpetuo statuimus et etiam ordinamus, | quod sacerdos  
qui deinceps in singulis domini nostri Jhesu Christi et beate Marie  
Virginis eius genitricis, ac patronorum, necnon dedicationis ejusdem  
ecclesie festivita- | tibus sollemnem Missam ad Altare maius dicte  
ecclesie celebraverit, post Missam eandem, dummodo ibidem aliquis  
Antistes, aut apostolice sedis Legatus presens | non fuerit, bene-  
dictionem solemnem populo elargiri, necnon omnibus fidelibus be-  
nedictioni hujusmodi interessentibus, uere penitentibus et confessis, |

Vnum Annum et Quadraginta dies de iniunctis eis penitentiis auctoritate apostolica relaxare ualeat. Non obstantibus Constitutionibus | et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti et ordinationis infringe | gere uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum | eius se nouerit incursurum. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadragesimo septuagesimo nono, | Idus Januarii, Pontificatus nostri Anno Nono.

G. Bonattus.

Das Siegel geht ab.

Expedite per me Petrum  
brunenstein prepositum Lucernensem.

## 24.

1480, 13. Jänners.

Sixtus Episcopus Seruus Seruorum Dei. Vniuersis Christi fidelibus presentes | litteras inspecturis, Salutem et apostolicam benedictionem. Licet is de cuius munere uenit, ut sibi a suis fidelibus digne et laudabiliter seruiatur, de abundantia sue pietatis que merita suppli- | cum excedit et uota bene servientibus sibi multo maiora retribuit quam ualeant promereri, nichilominus desiderantes domino reddere populum acceptabilem et bonorum | operum sectatorem fideles ipsos ad complacendum ei quasi quibusdam allectius muneribus, indulgentiis uidelicet et remissionibus inuitamus, ut exinde reddantur diuine | gratie aptiores. Cupientes igitur, ut parochialis ecclesia sancti Martini in Rot Constantiensis diocesis, ad quam dilectus filius Prepositus Lucernensis ipsius ecclesie Patronus | gerit deuotionis affectum, congruis honoribus frequentetur, ac libris, paramentis, calicibus et aliis pro diuino cultu necessariis fulciatur, et in suis edificiis conseruetur ac | augeatur, necnon Christi fideles eo libentius causa deuotionis confluant ad eandem, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberioris conspexerint se esse refectos. de omnipotens | dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis Christi fidelibus uere penitentibus et confessis, qui in Nativitatis domini | nostri Ihesu Christi, Resurrectionis, Assumptionis beate Marie Virginis, sancti Martini Episcopi, et Dedicationis eiusdem ecclesie festivita-

tibus deuote uisitauerint eandem | ecclesiam, et ad fulcimentum, conseruationem et augmentum hujusmodi inibi manus porrexerint adiutrices, pro qualibet dictarum festivitatuum Tres annos et totidem | Quadragesas; Qui uero, quando Salve Regina in diebus sabbati in eadem ecclesia decantabitur, interfuerint, pro qualibet uice Centum dies de iniunctis eis penitentiis | misericorditer in domino relaxamus, Presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, quod si uisitantibus dictam ecclesiam et ad eiusdem fulcimentum, conseruationem et augmentum hujusmodi manus porrigentibus adiutrices seu alias inibi pias elemosinas erogantibus, per nos aut predecessores nostros aliqua alia | indulgentia in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, presentes littere nullius existant roboris vel momenti. | Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo septuagesimo nono. Id. Januarii. | Pontificatus nostri Anno Nono. |

Gratis etc.

Das Bleisiegel hängt.

A. Trapezuntius.

N. de Benzis.

## 25.

### 1480, 13. Jänners.

Sixtus Episcopus, Seruus seruorum dei, ad perpetuam rei memoriam. | Hiis que pro ecclesiarum quarumlibet presertim insignium Collegiatarum commodo et utilitate prouide facta sunt, ut firma perpetuo et illibata permaneant libenter cum à nobis petitur, | adiicimus apostolici muniminis firmitatem. Sane pro parte dilectorum filiorum Prepositi et Capituli ecclesie sancti Leodegarii Lucernensis, Constantiensis diocesis Maguntinensis | Prouincie, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim dilecti filii Prepositus et Capitulum ecclesie sancti Mauritii Zofingensis dicte diocesis pro ipsius ecclesie sancti Mauritii | euidenti utilitate ius patronatus parrochialis ecclesie in Rot eiusdem diocesis ipsis olim per quondam Leopoldum ducem Austrie concessum, necnon ipsam parrochialem ecclesiam | dudum eidem ecclesie sancti Mauritii apostolica auctoritate annexam, incorporatam et unitam, Prepositione dicte ecclesie sancti Leodegarii sub certis tunc expressis modis formis et conditionibus concesserunt, transtulerunt et applicarunt, prout in publicis instrumentis desuper confectis dictur plenius contineri.

Quare pro parte Prepositi et Capituli ecclesie | sancti Leodegarii hujusmodi nobis fuit humiliter supplicatum, ut concessioni, translationi et applicationi prefatis pro illarum subsistentia firmiori robur apostolice confirmationis | adiicere, ac alias in premissis oportune prouidere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, concessionem, translationem et applicationem | predictas, ac prout illas concernunt omnia et singula in dictis instrumentis contenta auctoritate apostolica tenore presentium ex certa scientia approbamus et confirmamus, supplen- | tes omnes et singulos defectus tam iuris quam facti, si qui forsan interuenerint in eisdem. Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac statutis et con- | suetudinibus dicte ecclesie sancti Mauritii iuramento, confirmatione apostolica uel quauis firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino homi- | num liceat hanc paginam nostre approbationis, confirmationis et suppletionis infringere uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, in- | dignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursum. Datum Rome apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis dominice | Millesimo quadringentesimo septuagesimo nono. Id. Januarii. Pontif. nostri Anno Nono, |

Pendet Sigillum plumbeum.

## 26.

### 1480, 13. H̄orn.

Sixtus Episcopus, Seruus Seruorum Dei, Ad Perpetuam Rei Memoriam. | Decet Romanum Pontificem talem prouisionem adhibere, ut littere que a sede apostolica pro tempore conceduntur, absque cuiusuis impedimenti obstaculo suum debitum consequantur effectum, et ne per | quorumuis astutiam uel ambitionem earum executio quomodolibet retardetur. Sane accepimus quod nonnulli Archiepiscopi et Episcopi aliique ecclesiarum Prelati et ecclesiastice persone in nonnullis Alamannie | et aliis partibus constituti, dum litera apostolice ad partes illas deferuntur, eas nullatenus admitti aut executioni mandari permittunt, nisi ab ipsis super hoc licentia prius obtineatur, et pro | hujusmodi licentia concedenda, aliquas interdum magnas peccuniarum quantitates extorquere non uerentur, in illorum qui tales litteras ab eadem sede impetrarunt damnum

non modicum pariter | et iacturam. Nos igitur attentes indignum iniquumque existere, ut litterarum apostolicarum executio per inferiores et qui sedis predicte mandatis obedire tenentur, quomodolibet impediatur | uel retardetur, ac super hoc oportunis remediiis prouidere uolentes, Motu proprio non ad alicuius nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione ac ex certa | scientia auctoritate apostolica tenuore presentium vniuersis et singulis Archiepiscopis, Episcopis, Prelatis et personis supradictis cuiuscunque dignitatis, status, gradus uel conditionis fuerint, | sub excommunicationis pena, quam quemlibet contrafacentem ipso facto incurisse harum serie decernimus et nunciamus, districtius inhibemus, ne quascunque litteras apostolicas de | Mensibus Januarii et Februarii Pontificatus nostri Anno Nono expeditas, Collegia, vniuersitates, ecclesias aut particulares personas dominorum et districtuum dilectorum filiorum | Confederatorum superioris Alamannie concernentes, quas dilectus filius Petrus Brunnenstein Prepositus ecclesie sancti Leodegarii Lucernensis Constantiensis diocesis Maguntinensis | Provincie per Confederatos predictos orator ad nos destinatus, seu quiuis alias ad partes illas delaturus est, illarumque executionem propter non petitam super hoc ab eis | licentiam, aut alias quavis occasione vel causa impedire seu quomodolibet retardare, aut propterea quasvis peccuniarum summas a quibuscunque personis petere uel exigere directe | uel indirecte per se uel alium seu alios quouis quesito colore quomodolibet presumant, sed illas cum honore et reuerentia debitissimis recipientes et admittentes earum executionem | totalem fieri permittant, et in hiis illis, pro quibus littere ipse fuerint expedite, omni fauore et auxilio promptis animis prout tenentur assistant, Non obstantibus contraiis | quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre constitutionis, nunciationis et inhibitionis infringere uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem | hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum. Datum Rome apud Sanctum Petrum | Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo septuagesimo nono. Id. februarii. Pontificatus nostri Anno Nono. |

Gratis de mandato S<sup>mi</sup> domini nostri Pape. A. Trapezuntius.

A. de Mucriacellis.

N. de Benzis.

Das Sigillum plumbeum hängt.

27.  
1489, 16. Mai.

Innocentius Papa VIII.

Dilecte fili salutem et apostolicam benedictionem. Exponi nobis fecisti, quod tu alias ob melioris uite frugem, et ut ab intimo famulareris, Domum ordinis Cartusiensium in yttingen Constantiensis diocesis Maguntinensis Prouincie intrasti, et in ea professionem per laicos conuersos emitti solitam emisisti, et aliquamdiu cum laude commoratus es. Verum quia ea Domus magnis structuris et reparatione indiget, et illius Conuersi ad opus frequenter convocantur, tu diuinis obsequiis uti prius, uacare posse non speras. Quapropter ut melius et perfectius altissimo possis deservire, aliquam heremum incolere desyderas. Ideo nobis humiliter supplicasti, Dignarremur huic tuo desyderio paterna benignitate annuere. Nos tuis hujusmodi supplicationibus inclinati, tibi ut licentia a tuo superiore petita, licet non obtenta, in habitu Tabarri grisei coloris iuxta tria substantialia dicti ordinis absque esu carnium in aliqua heremo per te ad libitum eligenda, cum perpetua gestatione cilicii quoad uixeris, solus uel cum uno socio permanere, et altissimo famulari possis, tenore presentium concedimus et indulgemus. Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti ordinis statutis etiam juramento, confirmatione apostolica uel alias roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Rome apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris, Die XVI. Maij M. CCCCLXXXVIII. Pontificatus nostri anno Quinto.

P. Farnesius.

Im Rücken war einst der Fischerring aufgedrückt.

Überschrift: Dilecto filio Johanni Wagener, Conuerso ordinis Cartusiensium.

